

O P E R E D I F. PAOLO SARPI S E R V I T A

Teologo e Consultore della Serenissima Repubblica
di VENEZIA.

TOMO SESTO

Che contiene ciò che si accenna nella pagina seguente.



IN HELMSTAT,

PER JACOPO MULLERI,
MDCCCLXV.



PAULI SARPII EPISTOLÆ

M D

JACOBUM LESCHASSERIUM
EX COD. COLBERTINO 2832.

EPISTOLA I.



Supplici tuo libello, Vir Excel., cujus exemplum ad me misisti, animadverto, tibi non minus laborandum pro tuendo Arresto obtento, quam pro obtinendo laboraveris; sed tanti est pro impedienda Cleri audacia, illud decretum servari, ut sit operæ pretium nunquam a labore desistere. Prudentissime tu Regi exposuisti, quod si Clero permisum fuerit advocati actionem censura notare, inde transibunt ad Judicium sententias, post ad Regia edicta, & tandem ad Leges, quæ Regni fundamenta sunt. Inter hæc obiter meministi, quod Archiepiscopus Aquensis mandaverat Presbyteris, ne absolutionem in Paschate tribuerent Senatoribus Aquensis; neque præterea dicis, quo ea res evaserit tandem, id quod scire cupidissime expectabam, eo quod anno in Civitate Pinguenti, quæ ad Dominium Reipublicæ spectat, sed Dioecesi Tergestina subest, mandavit Episcopus Presbyteris, ne audirent Confessiones Capitanei, & hominum Comunitatis, eo quod de illius præcepto de non admittendis quibusdam Presbyteris paritura non fuerat, & quia Tergeste non subest Venetorum Dominio, Episcopus videbatur sibi posse tuto pro libito agere; præfertim cum neque is esset rerum statutus, ut Roma remedium expectari posset, huic difficultati hoc modo obviandum itum est. Archipræsbytero loci mandatum fuit, ut declararet, non potuisse Episcopum miscere forum pœnitentiale cum conteatioso, & præterea Presbyteros non teneri ejus mandato de non audiendis Confessionibus obedire; quælibet invenient, & Exomologeses suas de more facerent, atque ita factum, & Episcopus quo se verteret nesciens, silencio rem approbavit. Hæc olim non fuisset nisi ausi, sed modo novis gravaminibus nova remedia adhibere cogitmur. Scire opto quibus vos in hujusmodi utramini, & quo usi fuerint Aquenses. De Jesuitarum Arcano agendi modo, in his locis, unde ejecti sunt ipsam rem acu tetigisse te arbitror; multis inditius, iisque satis probabilibus creditur, eorum aliquos, mutato habitu, in has Civitates venire, idque ab illis fit non magna difficultate. Hujus rei rationes duæ sunt: ut suos in fide, & subjectione contineant, ne ad alios divertant: alia ut pecunias a Vi-
duis; & aliis superstitionis divitibus corrodant, quod miraris tu id fieri cum

EPISTOLA V.

AD EUMDEM.

Nihil profecto nobis magis nocet; Vir Excellentissime, quam Confessiorum malorum quidem improbitas, & studium ad rem Romanam quoquo modo amplificandam, bonorum autem præposterus zelus. Et in eo rerum statu sumus, ut de remedio desperandum sit. Ante annos 50. res bene in Italia procedebant. Educatio Juvemum ad Clericatum promovendum nulla publica erat: privatim a parentibus educabantur, & ad domesticam utilitatem potius, quam ad rationes Ecclesiasticorum: In Regularium dominibus, ubi studia vigebant, omnis opera erat circa Sententiaria libros; ibi de jurisdictione, & de auctoritate Papæ parum, vel nihil, & præterea cum longum Theologiaz totius studium esset, plures in contemplatione Divinitatis, & Angelorum consumebant ætatem. Modo ex Decreto Concilii Tridentini institutis in qualibet Civitate scholis, quæ Seminaria vocantur, educatione finem publicum augendi rem Ecclesiasticam habet. Accessit, quod Prælati, tum ut expensis parcerent, tum ut Zelantes videbantur, curam eorum Jesuitis commiserunt, unde maxima rerum mutatio. In hac Civitate Jesuitæ numquam Serranarii curam voluerunt; verum Sommaschis tradi curaverunt, qui genus novorum Regularium sunt: a Jesuitis habitu non distinguuntur. Prudentissime mores, Vir Excellentissime, & cum meo animo locutus es: Non sunt multæ leges scriptis statuendæ; semper illæ obsunt; potius laconico more moribus sunt inducendæ. Bene aïs, semper nocent expressa, praxis est utilissima, dissertatio & disputatio obest, id a tribus annis semper cogitavi, & prædicavi. Tota Controversia Romanæ Curiæ cum hac Republica inde orta est, quia Leges eas scripsit, quæ nihilominus in aliis Italiae regionibus, cum scriptæ non sint, moribus tamen servantur. In Tuscia Ecclesiastici nihil rerum immobilium acquirere possunt, nos quidem lege ultra id prohibeant, sed quia olim Colonus Magnus Dux verbo graveri injunxit Notariis, ne de hujusmodi instrumenta, aut testamenta conficerent. Ad hæc quid possunt Ecclesiastici mutare? Cum Venetis alteratio orta, quia Lex scripta fuit; verura nondum quisque modum advenire potuit, ut idem in hac Republica agi posset. Tu, Vir Excellentissime, si quid forte menti occurrat, quod profuturum sit, rogo ne mihi scribere recuses. Rerura Europearum is status esse videtur, ut in Italia bellum timendum non appareat, tum quia in Belgio interdicit nedum pacis, sed & iudiciarum tractatio, tum quia qui cœpere in Germania, motus non tam cito, neque tara facile quiescent, verum etiam quoniā manente Gallica Monarchia non expedit Hispaniæ res in Italia mouere. Hæc tamen, quæ nobis prodesse deberent, maxime obstant; hæc nos faciunt negligentes, & futuros incogitantes, dormimus, vel dormitaremus, nisi levis aliquis stimulus, qui excitaret, non adesset: pessime agitur cum quibus arbitrium belli, & pacis Adversarii habent. Sed omnia in manu Dei sunt: Is rogauis, ut ejus divina voluntas fiat. Ego te summopere rogo, ut me sem-

Temper eadem benevolentia, qua cæpisti prosequeris, & meo servitio utaris, quæ nihil mihi gratius evenire posset: Oro insuper, ut D. D. Gillot, & Casaubono meo nomine plurimam salutem dicas. Vale.

Venetiis 13 Octobris 1608.

EPISTOLA VI.

AD EUMDEM.

QUOTIDIE nos tibi magis debere video (Vir Excellentissime) qui tanta diligentia, & fide rebus nostris invigilas. Profecto possessio Beneficiorum, quæ a Principe traditur, via est acquirendi, seu potius recuperandi, quæ artibus minime bonis, licet pietatis colore, ab extraneis usurpata fuere. Id, quod tibi scripseram, Ministros Principis ius reddere inter eos, quorum alter obtinuit literas possessionis a Principe; & alter reperitur in possessione, non raro evenit, præsertim, ubi in Curia Romana (quod aliquando fit) Bullæ in favorem duorum expediuntur, aut quando prætextu alicujus poenæ privationis ipso jure incurse a Beneficiario, Beneficium ab alio impetratur, vel aliis etiam de causis, & licet Dominium hoc non magnum sit valde in Italia, attamen nullum annum credo transire absque aliqua hujusmodi cognitione. Literæ possessionis expediuntur latina lingua, quoniam adhuc in Italia viget mos, ut acta publica ea lingua tractentur, & scribantur. Venetiis usus est Italica vulgaris, & in Judiciis, & in actibus publicis, solis exceptis Judicialibus, quæ scribuntur ad Magistratus Civitatum subditarum. Quamobrem & processus in possessorio Beneficiorum extra Civitatem scribuntur latine, & more usitato per positiones. Venetiis scribuntur Italice, & constant duabus (ita vocant) Scripturis ad minus, petitione actoris, & responsione rei, licetque actori tertia Scripturae aliquid addere, & reo respondere, & si qua documenta partes præsentare volunt, præsentant; post ambarum Advocati audiuntur, illisque auditis, sententia statim profertur. Lectis tuis literis decrevi regnum percurrere omnium literarum possessionis, & si quæ sit inter formulæ varietas, quæ tempore irrepierit, notare; post perquirere aliquos processus Venetiis, & alios alibi actitatos, & omnia sigillatim animadvertere, & de re tota tibi scribere. Nam quod ait, tibi videbi haec judicia non esse de sola possessione, sed de titulo, numquam nobis fuit objectum. Tentavit Sæpe Curia Romana privare nos hoc Jure, verum numquam usæ hoc prætextu, quod tractaretur de Titulo, sed alio, quod possessorum rei spiritualis est spirituale, & si forte lité super possessorio intentata titulus incidenter allegetur, non propterea causa excedit limites possessorii. Quod ait, maximam virum esse in formulis, easque esse fontes consuetudinum, ego maxime probbo, illisque mutatis, video, mores mutari, ut non satis recte dicatur,

Tom. VI.

F tur,